



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Eundem Serenissimum Principem Condaeum: Post Senefense Praelium  
Et Solutam Aldenardae Obsidionem. Ode II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

AD EUNDEM

SERENISSIMUM PRINCIPEM

## CONDÆUM:

POST SENEFENSE PRÆLIUM

ET

SOLUTAM ALDENARDÆ OBSIDIONEM.

## ODE II.

**Q**UIS me curuli per vacuum æthera  
 Nimbo volantem sustulit , avios  
 Squalentis in colles Senefi ;  
 Qua sociis inimica signis  
 Stant castra , ferro vertere Galliam  
 Jurata ? Nigrum pulvere Martio  
 Agnosco Condæum , & decori  
 Enguineum comitem pericli .  
 Proh ! quantus illum per medias rapit  
 Ardor phalanges ; fulmineâ ut manu  
 Bellator hostiles maniplos  
 Versa fugæ dare terga cogit !  
 Jam decolors sanguine Belgico  
 Undare campos ; jam Batavum ferâ  
 Cerno minorem strage Sabim ,  
 Scuta per & galeas anhelo  
 Retro ire cursu. Non sua Teutonas  
 Castella densis invia vepribus ;  
 Non clausa lucorum , & cavatæ  
 Diluijis sub agros lacunæ ,

T

Rupto paventem foedere Cantabrum  
 Tutantur. Heros omnibus ingruit  
 Par unus : infestis vicissim  
 Unum acies petit omnis armis.  
 Ter foeta nubes grandine ahenea  
 Flammisque , nudum depluit in caput :  
 Ter funus in sese fidelis  
 Vertit equus domino paratum.  
 Fies honesto tu quoque vulnera  
 Nomen futuris nobile saeculis  
 Henrice : nec patrem redemptum  
 Corporis oppositu tacebit  
 Injurioso fama silentio.  
 Quin Roma priscum Scipiaden novis  
 Submittet exemplis ; suumque  
 Te potius volet esse civem.  
 Io ! triumphum miles io ! canat.  
 Gallus triformem Geryona Hercules  
 Longo reluctantem duello  
 Parte sui meliore fregit.  
 It truncus uno corpore ; nec triplex  
 Cervice fessa ferre valet caput.  
 In seque discors ac rebellis  
 Altera Borbonidæ trophæa  
 Sub Aldenardæ moenibus excitat :  
 Quæ cincta vanis obsidiis , fuga  
 Turpi reliquit ; mox datus  
 Clade novum geminata honore.